



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Conradi Oigenii J. C. Dissertatio De Primariis Precibus
Imperialibus**

Corradini, Pietro Marcellino

Friburgi Brisgoiae, 1707

XXVII. Conciliabuli Basileensis statuta irrata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63022](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63022)

vorum, & Capitulorum à Sede Apostolica, se stabilire in injusta possessione occupandi electiones canonicas, & querelis populorum refrænare Pontificiam potestatem. Sic fecisse constat Hermannum, Henricum V. etiam postquam Callisto II. promiserat, se canonicas electiones in sua libertate relicturum, Fridericum I., Othonem IV., Fridericum II., & plures qui sequuti sunt, & Ecclesiasticas res plurimum perturbarunt, uti vide re est apud Goldastum tom. 1. pag. 242. 258. 289. & 290., idque patet ex Annibus Ecclesiasticis, Germanarumque rerum Scriptoribus.

Hic status rerum fuit donec ad tempora Constantiensis & deinde Basileensis Concilii ventum est, quo auctoritate Eugenii IV. dissoluto, & translato ad Civitatem Ferrariæ, Basileense Conciliabulum instante Alberto Imperatore & dein Friderico III. plura contra Apostolicam Sedem tentare ausum est, donec comperta nullitate actorum ejus pseudo-Synodi, post translationem factam à Papa, Germanisque omnibus illuminatis, Fridericus III. supplex ab Eugenio Catholicæ Ecclesiæ Antistite, detestata pervicacia schismaticorum, absolutionem Episcoporum, qui Basileæ convenerant, & Procerum,

XXVII.
Conciliabu-
li Basileensis
statuta irrita.

36 De primariis Precibus Imperialibus
qui à fœdere Romanæ Ecclesiæ descive-
rant, suamque impetravit, quemadmo-
dum ostendunt Gobel. comment. lib. I.,
Raynald. ad annum Christi 1447., & pa-
tet ex constitutione x. Pii II., in qua fu-
sius res gestæ enarrantur.

XXVIII.

Primariæ
Preces ab Eu-
genio IV. Fri-
derico III.
concessæ.

Vix reconciliatus Fridericus duo petiit
ab Eugenio; primum, ut omnes electi ad
Ecclesiæ, & Beneficia, omnesque de iis
provisi in Germania tempore contuma-
ciæ, ii quoque, qui Conciliabulo adhæ-
serant, pristinis honoribus & dignitati-
bus restituerentur, eorumque provisiones
Papali diplomate validæ fierent: quod
Eugenius fecit, quemadmodum legitur
in Constitutione relata per Raynaldum
ad annum Christi 1447. n. 4. 6. 7. & se-
quentibus: alterum, ut Papa indultum
primiarum Precum ipsi concederet,
quod & Eugenius Friderico benigne in-
dulxit, ut infra referam. Interim missus
est Joannes Cardinalis sancti Angeli Dia-
conus ad Germanos, ut tandem is auto-
ritate Legationis Apostolicæ componeret
jurgia, quæ tanto tempore exarserant in-
ter summos Pontifices, Imperatores, uni-
versaque inclytam Nationem occasione
libertatis electionum, collationum, reser-
vationum Apostolicarum, expectativa-
rum, mandatorum de providendo vaca-
tura, & similium.

XXX